



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1681**

Capvt Primvm. De multiplici damnatione Photini, & novis synodis quas  
nupera dissertatio introducit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14704**



# IACOBI SIRMONDI

## DIATRIBA SECUNDA,

*Examen continens dissertationis quam de  
Photino haeretico ejusque damnatione  
Dionysius Petavius in lucem nuper  
dedit.*

Singulis capitibus singula respondent.

---

### CAPVT PRIMVM.

*De multiplici damnatione Photini, & novis  
synodis quas nupera dissertatio introducit.*

I. **D**IVERSAS quinque synodos in  
quibus damnatus sit Photinus re-  
pertas à se vel notatas dissertationis auc-  
tor enumerat. Non spernenda nec indig-  
na scitu observatio, si vera est. Sed quis  
errorem in eo non statim deprehendit  
quòd primam Photini damnationem im-  
perante adhuc Constantino factam pu-  
tat? Enimvero damnari Constantino reg-  
nante Photini hæresis qui potuit si exor-  
ta nondum erat, si post Constantini ex-

502 IACOBI SIRMONDI  
cessum, Constantii demum temporibus,  
ipsius qui loquitur testimonio nata est:  
Epiphanius verba sunt, ipso interprete,  
Photinum, ὁπτι Κωνσταντίου, Constantio  
imperante infelix doctrinae suae lolium  
disseminasse. Sub Constantio igitur emer-  
sisse Photinum censuit Epiphanius. Hoc  
verò amplius Socrates quòd annum quo-  
que ipsum, si attendimus, propemodum  
designavit, dum Photini exordia inter  
utramque synodum Antiochenam defi-  
xit. Nam cum priorem in Encæniis an-  
no Constantii Principis quinto, Christi  
c c c l i. peractam fuisse constet, exinde  
post biennium posteriorem, quid verifi-  
milis quàm ut Photini hæresis ex Socra-  
tis sententia vel anno Christi c c c x l i i,  
prodiisse dicatur cum Baronio, vel c c c  
x l i i i. cum Sigonio.

II. Ceterum ut de anno fortasse ali-  
qua sit controversia, de auctore nostro  
nulla esse potest quin errarit ad Constan-  
tini tempora referens quod ad Constan-  
tiana pertinebat, falsòque de Constan-  
tinopolitana synodo anni c c c x x x v i.  
conjectarit damnatum in ea cum Marcel-  
lo fuisse Photinum, quia de Marcello qui-  
dem & <sup>a</sup> Socrates & <sup>b</sup> Sozomenus & qui  
synodo interesse potuit, ac post illam  
mox scripsit, <sup>c</sup> Eusebius Cæsariensis &

Socrat. lib. 2.

l. 4.

De occid.  
imp.

<sup>a</sup> Lib. 1.

c. 24.

<sup>b</sup> Lib. 2. c. 31.

<sup>c</sup> Lib. 2.

cont. Marc.

l. 4.

ceteri consentiunt, de Photino autem, quòd in ea damnatus sit, nemo hactenus somniavit præter ipsum. Photinum sanè unà cum Marcello synodica sententia perstrictum aliquando fuisse nescii non sumus, sed non ante synodum secundam Antiochenam, à qua damnati ambo reperiuntur in formula fidei pluribus verbis expressa, quæ ideo μακροπικρος appellata est. Audiatur & Ἐποχὴν suam miretur qui primam damnationem Photini falsam & frivolam commentus sit, veram & germanam non observaverit. Sic enim in ea synodo Arriani Episcopi loquuntur apud Athanasium. Βδελυσόμεθα ἡ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς Χειρὸν μὴ εἶναι πρὸς αἰώνων θείωντας, ἀλλ' ἐκ τοῦ Χειρὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐξ οὗ τοῦ ἡμετέραν οὐκ ἔπαρθεν σαρκὰ ἀνέλιπε: τοιοῦτοι ἡ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκελλοῦ καὶ Σκατεινοῦ καὶ ἀΓνωσθαλατῶν. *Abominamur præterea & anathemate damnamus eos qui Christum non ante secula fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum & filium Dei factum fuisse ex quo nostram carnem de virgine assumpsit. Tales sunt discipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatiæ.*

Apol. 2.  
pag. 691.

III. Scotinumne pro Photino appellatur synodus, ut est apud Athanasium, an Photinum, ut habet Socrates, nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium à

Lib. 2. c. 15.

Pag. 264.

Lucifero Calaritano dictum in eo libro constat cui titulus est *De non parcendo in Deum delinquentibus*. Hoc contendo, primum omnium de Photino synodicum iudicium istud esse numerandum quod dixi, antiquius illud certè synodo Sardicensi, quod ex Sulpitii Severi verbis quæ citantur consequi non negarim. Sed in confusa eo loco & distorta Severi oratione quàm certum est falsò tradi Episcopos apud Sardicam Constantini jussu congregatos, qui ab ejus filiis decimo post mortem patris anno congregati sunt, tam minimè dubium falli & errare duplici nomine virum doctum, tum quòd absentis Athanasii damnationem, cujus meminit Severus, ad synodum Antiochenam pertinere velit, cùm ad Tyriam referenda sit, quia licèt absens in utraque damnatus sit, in Tyria tamen sola sub Constantino, tum quòd objectam Athanasio participatam cum Marcello & Photino communionis accusationem alieno loco apud Severum connumerari non sentiat, cùm exploratum sit è duobus iudiciis quæ in Athanasium per Arrianos facta sunt in Concilio Tyrio & Antiocheno, neutri hunc accusationis titulum competere. In Tyrio enim falsis de Ischyra & Arsenio criminibus damnatus est, in Antiocheno crimi-

Pag. 466.  
dissert.

ni datum quòd pristinam sedem, unde synodali, ut aiebant, iudicio pulsus fuerat, sine Episcoporum auctoritate repetiisset. De recepto autem ad communionem Marcello aliisque Arrianorum sententia damnatis in Sardicensi demum synodo ab Arrianis insimulatus est. quod ex ipsa illorum synodica in Hilarii fragmentis observare est. Quare ad synodum Sardicensem spectabat hæc accusatio, & alieno, ut dixi, loco apud Severum prolata est. Falsum igitur in prima sua Photini damnatione multisque modis hallucinatum auctorem dissertationis hæcenus ostendimus. Nunc ad reliquas pergamus.

I V. Post hæc in Sardicensi Concilio iterum fuisse damnatum auctore asserit Epiphanio, qui Photinum narrat *ὑπὸ τῆς ἐν τῇ σαρδικῇ δυτικῆς συνόδου καθιρηθῆσαι*, in *Sardicensi occidentali synodo depositum*. Ac ne ambiguum foret, quia secedentibus apud Sardicam Arrianis synodus bifariam divisa est, ab utra parte damnatum intelligeremus, à catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipse de suo. Itane verò, ut damnatum à catholicis eo iudicio Photinum credamus in quo an catholicorum quisquam sederit incertum, hæreticus omnium consensu præfuit & primas partes

Paq. 466.  
dissert.

506 IACOBI SIRMONDI  
egit Semiarianorum princeps Basilius  
Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui  
volet, nobis non persuadebit. Porro cum  
damnati episcopatuque dejecti Photini  
nulla in Sardicenis actis fit mentio, &  
quæ de Photini exauctoratione deque Ba-  
filii cum Photino disputatione ab Epi-  
phanio tamquam Sardicæ gesta memo-  
rantur, eadem omnia Sirmiensis ad sy-  
nodum pertinere scriptores alii fidem fa-  
ciant, parum perspicacem videri oportet  
eum qui Epiphanium, quod alii pridem  
monuerunt, memoria lapsus hoc loco  
synodo Sardicensi tribuere quod Sirmien-  
si congruebat, cassamque & inanem auc-  
toris observationem jacere non videat.

V. Tertia, inquit, Photini condem-  
natio in Concilio facta est Mediolanensi,  
non in illo pervulgato anni cccclv. de  
quo nos Hilarii fragmenta interpretaba-  
mur, sed in altero quod statim post Sar-  
dicense ab Episcopis catholicis eodem  
ipso anno celebratum vult persuadere.  
De Hilarii verbis, utri faveant, postea  
videbimus. Nunc mirificam ipsam ejus  
synodum contemplemur. Mediolani ait E-  
piscopos qui Sardicæ nuper fuerant (Quos  
enim alios dicere habeat?) iterum con-  
gregatos. Quis hoc indulgeat, duas uno  
anno synodos tam diffitis in locis & tam

diversarum provinciarum Episcopis imperatas? Non omnes, inquit, ad Mediolanensem acciti sunt, sed soli catholici. Quorsum hi præcipuè? Ut Photinum condemnarent? Atqui Sardicæ à catholicis, si ei credimus, proximè fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eosdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova synodo fatigari? Tam immemor est sui ut quid paulò antè scripserit non recorderetur, tam securus nostri ut oblivisci nos posse confidat? In hac præterea synodo Arrianæ sectæ quatuor Episcopos Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium interfuisse docet, Arriique perfidiam damnare noluisse. Quis hoc rursus credi ab eo potuisse non miretur? Quæro enim aliumne censeat hunc esse Demophilum, alium Macedonium, & alium Eudoxium quàm quorum subscriptiones in Sardicensi Arrianorum synodica leguntur, Demophili à Beroë, Macedonii à Mopsuestia, Eudoxii à Germanicia. Quòd si hos ipsos esse non negabit, edicat, si potest, undenam tanta istorum tam repentina mutatio, ut qui proximè apud Sardicam, ne cum catholicis coirent, secessionem fuga fecerant, iisdem nunc, iidem nunc eosdem, ut eorum Concilio intersint, Mediolanum usque consecen-

*Pag. 467.  
dissert.*

*Hilar. frag.  
lib. 2. c. 28.*

508 IACOBI SIRMONDI  
tur? Si edicere non potest, incredibilia  
& falsa hæc esse confiteatur. Habet ta-  
men unde vera esse confirmet, Liberii  
Papæ ad Constantium epistolam, in qua  
narrat octavo antè anno quàm scriberet,  
hoc est, ut ipse ratiocinatur, anno ipso  
synodi Sardicensis cccxlvii. Episco-  
pos istos, cùm ad Mediolanum Arrii sen-  
tentiam hæreticam noluisissent damnare,  
de Concilio iratis animis exiisse. De hac  
ergo nos epistola quid statuemus? Erra-  
re hic etiam illum & falso niti principio,  
qui scriptam ponat anno ccclv. cùm an-  
no superiore scriptam non vanis argumen-  
tis evicerit Baronius, tum cùm indicta  
synodus nondum erat, cujus impetranda  
gratia legati cum epistola mittebantur,  
ut cùm in Galliis adhuc ageret Constans-  
tius, quem inde postea in Italiam sub  
exitum anni ccccliv. ad hiberna des-  
cendisse auctor est Ammianus Marcelli-  
nus, proinde hunc verum & legitimum  
esse annum epistolæ Liberianæ. Ad hos  
ergo annos octo quos numerat Liberius  
si regrediare, conventus occurreret Medio-  
lanensis, non quo anno statuebat disser-  
tatio, sed anteriore cccclvi. ac tum  
plana & liquida fluent omnia. Nam &  
Eudoxium collegasque Episcopos, qui  
ab orientalibus legati, ut Socrates &

*Socrates lib.  
2. c. 15.*

Sozomenus tradunt, μακρότατον illam fi- *Sozomen.*  
 dei formulam in Italiam attulerant, Me- *lib. 3. c. 10.*  
 diolani tunc adfuisse nihil erit absurdi.  
 Et cum Athanasium eodem quoque anno  
 Mediolanum Romæ Constantis Principis  
 accitu venisse atque inde in Gallias pro-  
 fectum Sardicam ad synodum unâ cum  
 Hosio contendisse Athanasii ipsius ad *Pag. 526.*  
 Constantium apologia demonstret, li-  
 quet profectò Mediolanensem istum qui  
 fuit Episcoporum conventum, de quo  
 scribit Liberius, Sardicensi, contrâ quàm  
 amico nostro visum est, non successisse,  
 sed antecessisse. Quare nihil illi ad suum  
 istud Concilium Liberii epistola suffra-  
 gata est.

VI. Videamus an opis plus afferet  
 altera synodi Ariminensis, quæ Ursatium  
 & Valentem in Concilio Mediolanen-  
 si ad communionem receptos testari vi-  
 detur. Quamquam enim non in Con-  
 cilio sed sub tempus Concilii receptos  
 emendatiora habeant exemplaria, ὅτε  
 ἐν Μεδιολάνῳ τὸ σωέριον ἔσιν σωόδου σωε-  
 κροτέϊτο, atque hoc ipsum in eam episto-  
 lam irrepsisse per errorem videri possit  
 ex Valentis & Ursatii ad Iulium epistola,  
 in qua libelli abs se apud Mediolanum  
 oblati meminerunt, tametsi nec synodum  
 ibi tunc fuisse nec ad pacem se receptos

510 IACOBI SIRMONDI  
significant, quia tamen in Concilio re-  
ceptos ipse atque suum hoc Concilium  
Mediolanense id esse omnibus nervis con-  
tendit, hic enimvero quod de aliis qua-  
tuor Episcopis antea quærebamus per-  
cunctari denuo libet, quam verisimile ar-  
bitretur duos istos Arrianorum principes  
& antesignanos, qui pro facinoribus suis  
à synodo Sardicensi dejecti proximè fue-  
rant & communione privati, ad frugem  
tam subito conversos advolasse Medio-  
lanum ibique communionem sine mora  
recepisse? Sed receptos prorsus non fuis-  
se fallique qui aliter sentiant manifestum  
est. Etenim si à Mediolanensi, ut volunt,  
synodo fuerant in integrum restituti, si  
cum Ecclesia catholica redierant in gra-  
tiam, quid est quòd biennio post Conci-  
lium illud narrat Hilarius Vrsatum &  
Valentem Romanæ plebis Episcopum  
adiisse, *recipi se in Ecclesiam deprecantes, &  
in communionem admitti rogantes?* Quid quòd  
recitatis illorum literis subjungit: *Venia  
indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fi-  
dem cum communionem donatur.* An ignorare  
potuit Hilarius veniam illos à Concilio  
impetrasse si revera impetrarant, & qui  
recipi se in Ecclesiam rogabant, nondum  
receptos se non satis ostendebant? Quid  
ergo est quòd contra horum confessio-  
nem

Pag. 469.  
470. 473.  
476. dis-  
sert.

Lib. 2. frag.  
pag. 24.

DIATRIBA SECUNDA. SII

nem & contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet illos in Concilio Mediolanensi cum Ecclesia catholica in gratiam rediisse, postea cum Athanasio &, quod addi debuit, cum Iulio Papa reconciliatos? Sed Iulii nomen pudore suppressum est, ne in Ecclesiam eos receptos dicere videretur quibus cum Ecclesiae capite communio nondum esset. Et tamen hoc intelligi necesse est si re vera sunt quae dicit. Ceterum de Valente & Ursatio, quo tempore quove impulsu ad poenitentiam adducti sint, nemo certius noverat, nemo libentius audiendus est quam Athanasius, qui nec priorem hanc Romana resipiscentiam istorum ullam agnoscit, & hujus ineundae occasionem non ex ficta synodo Sirmiensi, quae etiamsi fuisset, ad causam nihil attineret, sed ex frequenti Episcoporum passim, tum maximè Syrorum & Palæstinorum, ad Athanasii communionem gregatim redeuntium concursu natam refert, cum de rebus suis jam desperarent, & stimulis acti conscientiae remedia conquirerent. Quare satis, opinor, hoc etiam ex capite Mediolanensis hujus Concilii tertiaeque in eo Photini damnationis vanitas patefacta est.

*Apol. 2.  
pag. 602.  
ad Solitar.  
pag. 699.*

VII. Quartò præterea damnatum facit in synodo Sirmiensi, non illa celebri & nota

sub Constantio, sed altera quàm Constante  
 superstite à catholicis occidentalibus habi-  
 tam fabulatur. Consequens erat nimirum  
 ut qui futilem Mediolani synodum procu-  
 derat, frivolum quoque nobis daret Sir-  
 mitanam. Quid ita verò? Quia Hilarius in  
 fragmentis scribit biennio post damnatum  
 in Mediolanensi synodo Photinum Epif-  
 copos ad illum tollendum ex episcopatu  
 Sirmium convocatos. Porrò Sirmii anno  
 CCCXLIX. convenisse ob adnexam ab Hila-  
 rio Valentis & Ursatii reconciliationem  
 non dubitat. Ideo Mediolanensem syno-  
 dum Hilarii, suam esse putat, quam bien-  
 nio antè collocavit. Nos simpliciores Me-  
 diolanensem accipiebamus quam Medio-  
 lanensem omnes vocant & anno CCCLV.  
 celebratam loquuntur historiæ. Itaque de  
 hoc nunc capite inter nos est controver-  
 sia. Quo autem argumento ecquam syno-  
 dum Hilarius intelligat certius cognosce-  
 mus quàm ex Photini damnatione, quam  
 in synodo factam docet? At nunquam  
 ostendet adversarius de Photino in eà  
 quam fingit ullam fuisse mentionem,  
 quia de synodo illa præter ipsum nemini  
 unquam subolevit. Nos in vera & omni-  
 bus nota Mediolanensi hæreticum damna-  
 tum fuisse Photinum ex synodi ipsius actis  
 ostendemus. Extat enim & ecclesiasticis

DIATRIBA SECUNDA. 513  
annalibus indita est Concili hujus epistola  
ad Eusebium Vercellensem his verbis.

*Concilium Mediolanense Eusebio fratri in  
Domino salutem. Non ignorat carissima no-  
bis dilectio tua quàm sit pretiosum vinculum  
caritatis & pacis. Et post alia de legatis ad  
eum missis: Itaque sincerissima prudentia tua,  
quod specialiter & sinceriter admonemus, au-  
diat supradictos, & communicato pariter cum  
his consilio definiat quod de nomine hæreticorum  
Marcelli & Photini necnon & Athanasii sa-  
cilegi totus propè definiuit orbis, ne non tam ve-  
ritati quàm intentioni parere videaris &c.*

VIII. Post tam expressi testimonii auc-  
toritatem dubitationi locus quis esse po-  
test? Ac mirum profectò viri docti oculos  
fugere hanc epistolam potuisse, aut si vi-  
dit, qua de synodo Hilarius ageret, quam-  
ve post biennium Sirmii coactam diceret,  
non percepisse, ne in Vrsatii & Valentis  
pœnitentia illudi sibi ab Hilarii fragmen-  
tis, quæ alieno hanc loco recitant, patere-  
tur, & in eruenda è parietinis, ut ait, ru-  
deribusque nova Sirmii synodo frustra la-  
boraret. Quàm multa sunt enim & quàm  
aperta quæ commenti hujus inanitatem re-  
fellunt? Nam ut omittam synodo isti, si  
Athanasio Alexandriam reverso & Vrsa-  
tio & Valente in gratiam receptis habita  
est, ut fingitur, punctum temporis in quo

*Pag. 470.  
dissert.*

K k ij

*lib. 2. frag.  
pag. 26.*

habita sit, ante Constantis obitum, qui sub ipsum Athanasii reditum incidit, adsignari nullum posse, fallitur haud dubie cum id quod ab Hilario dictum est, Athanasii de abstento Marcello iudicium damnationi Photini auctoritatem præbuisse, de hac synodo sua dictum interpretatur; quasi hæere in hac synodo potuerint Episcopi occidentales, aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum desiderare, quem ipsi jam Mediolani, si verum est, ante biennium condemnarunt. Verum hoc tamen amici causa dissimulemus.

IX. Quæro igitur ecquando ab Athanasio factum censeat hoc iudicium. Num ante reditum Athanasii? At ridiculum est Athanasium à communione sua quemquam prius quàm sedem suam reciperet exclusisse. An verò post reditum? Et quantum ante Constantis obitum tempus fuit, si tamen fuit, ut de Marcello iudicare Athanasio liceret? Posterius ergo, interjecto, ut Severus ait, tempore iudicavit, sed prius tamen quàm Photinus argueretur; auctoritatemque, quod testatur Hilarius, præbuit, non subdititiis auctoris nostri synodis, sed veris certisque Conciliis Mediolanensi atque Sirmiensi, quorum in utroque damnatum re ipsa Photinum fuisse compertum est. Fallitur rursus vehe-

menterque hallucinatur ubi maximè sibi placere ac synodum suam egregiè stabilire visus est, cùm decretum occidentalium de Photino, cujus meminit Hilarius, ad suam istam synodum & annum Christi ccc. XLIX. transferri posse arbitratur. Quo certè absurdius alieniusque fingi nihil potuit. Quid enim? Annon testis Hilarius orientales hoc accepto decreto occasionem revolvendi de Athanasio quæsiisse judicii, & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem ut institutorum talium magistri addidisse ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis judicio conscriptam in publicam recordationem causæ novitas excitaret? Quis hæc autem anno ccc. XLIX. convenire non posse, si verum amat, non fateatur, ut quo tempore Athanasii suam in sedem redeuntis læta & tranquilla erant omnia, ejusque communionem certatim universi & integræ synodi atque ipsi etiam Arrianorum principes expetebant, eo ipso agitare in Athanasium consilia & odia exercuisse credantur, & quo sensu mortua ipso jam tempore quæstio dici potuit, si non interquieverat, si nullo tempore cessarat?

X. Alia igitur ad tempora spectent Hilarii verba necesse est, ad illa inquam tem-

*Pag.* 473.  
474. 475.  
*dissert.*  
*Lib.* I.  
*pag.* 27.

516 IACOBI SIRM. DIATR. SECUNDA,  
pora Constantii quibus, post cædem Mag-  
nentiæ pacatis bellis civilibus, Arriano-  
rum in Athanasium furor renovatus est.  
Tunc enim revera negatæ Marcello com-  
munionis damnatique Photini occasio-  
nem nacti, astuto, ut scribit Severus, con-  
silio innoxium criminosis miscentes, dam-  
nationemque Photini & Marcelli & Atha-  
nasii eadem sententia comprehendentes,  
eandem ad Athanasii condemnationem  
catholicos Episcopos primùm in Arela-  
tensi Concilio anno ccccliii. tum biennio  
post in Mediolanensi, & deinceps quan-  
diu Constantius vixit, adigere conati sunt,  
& vi ac minis plurimos impulerunt. De  
Mediolanensi perspicua res est. Tres una  
ibi damnatos Concilii ad Eusebium epi-  
stola nos docuit. Ad Arelatense referen-  
da est, quæ idipsum confirmat, Paulini  
Episcopi responsio: de qua Severus Epif-  
scopos laudans qui Arrianis non cesse-  
runt, *inter quos, inquit, Paulinus Episco-  
pus Trevirorum oblata sibi epistola ita sub-  
scripsisse traditur, se in Photini atque Mar-  
celli damnationem præbere consensum, de Atha-  
nasio non probare.* Cetera prætermitto.

F I N I S.